



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Homo Christianus In Sua Lege Institutus. Sive Discursus Morales

Quibus Totum Hominis Christiani Officium Explicatur; Quídq̄ue is fugere,
quid agere debeat, quàm exactissimè traditur

Segneri, Paolo

Augustæ Vindelicorum, Anno M.DCCXII.

VD18 90637054

Discursus XX. De Jejunio. Perditâ per primorum parentum nostrorum
intemperantiam olim in paradiso terrestri justitiæ originalis dignitate,
ostenditur, quomodo ad eandem recuperandam jejunio titè ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51667)

penas sumendas; quoniam benignissimus Deus permittit, ut ipse ferat sententiam, ipse exequaris, supplicium minime atrox sponte subeundo. Ubi verò tu tanto abusus beneficio, ferre ipse sententiam, & penas sumere omiseris, cum profectò Deus non deerit iuneri, & summo in te jure utetur. Neque jam causa tua civilis erit, sed criminalis, non inquam ære te redimes, ut poteras te ipsum judicando, sed sanguine lues: neque judicium humanum, sed divinum erit, severissimum nimirum, & odio, quo Deus in peccatum fertur, suâ proportionem respon-

des. Sed & sententia Divina erit, digna videlicet brachio divino, quod illam exequitur. *Existimas homo, quia tu effugies judicium Dei? Nihil agies, nulla jam evadendi via. Apposuit tibi Eccli. aquam & ignem; ad quod volueris, porriges manum tuam.* Aut hic plorandum tantillo tempore cum Pœnitentibus, aut ibi arandum cum damnatis per omnem æternitatem. Quisque quod vult, eligat; sed attendat, quid agat, quia errori, quem admisit, corrigendo nec locus, nec tempus invenietur: *Non est correctio errori.*

DISCURSUS XX.

De Jejunio.

SI quem Principem adversa fors, & armata vis throno suo deiecisset, non aliud ille animo volueret sc̄p̄is, quàm quâ demum ratione redire ad Regnum posset. Cogetet ille festinatis delectibus è vicinis Provin-
ciis militem; potentissimum quemq; credere sibi conjungeret; Legatos eriam remota ad Regna mitteret: non horâ quietus unicâ alterutrum tantum horum cuperet; aut Solium, aut Tumulum. Quid autem causæ est, cur non mortalium quisq; tantundem velit, & audeat? An non ille nascendi forte

Princeps est, & supremum ei jus in omnia cetera condita à Deo collatum; dignitate verò tantâ, peccati subinde malignâ vi exutus ac spoliatus? Cur igitur non meditatur ille vias ac modos omnes, quibus pristinum ad gradum enitatur, & omne jus prærogativum perditum recuperet? Estne id ita arduum, ut eò aspirare summo cum decore non liceat? Sanctus certè Bafilii id tam difficile non existimavit: quin imò & mali causam, & mali remedium invenisse sibi visus est, dum ita scripsit: *Quia non jejunavimus, Homo exulamus è Paradiso, jejunemus, ut revertamur.* Quia Protoplastes transgressus est legem de abstinendo à fru-

& ueritate, nos ejus posteri cum ipso, & per ipsum miseri, exulamus Paradiso Innocentiæ. Jejunemus igitur, & sic in patriam revertemur. *Jejunemus, ut revertamur.* Mihi proinde ducem hunc sanctum Doctorem secuto, propositam est, vobis hodie demonstrare; Jejunium seu abstinentiam ritè servatam reponere nos loco & gradu, quo in Paradiso excidimus, dum momento unico nos exutos vidimus Justitiâ, quæ Originaria appellatur.

II. Tria igitur sunt præcipuè, quorum jacturam primi Parentis nostri edacitate passi sumus. Amisimus Gratiâ perduellione, quâ anima defecit à Deo: amisimus nobis ipsis dominandi jus perduellione Corporis contra animam: amisimus immortalitatem ob pugnam illam intestinam, quâ humores contrarii, ex quibus conflati sumus, inter se certant, quin eos anima amico inter se scedere denique componere possit. Jam si vobis ostendero, Jejunio triplicis hujus boni jacturam abunde restaurari, an non eadem opera demonstravi, eodem nos, priore in gradu amissæ justitiæ reponi? Initium proinde à jacturam restauratione faciamus, ut subinde descendamus ad rectum ejus rei usum, quâ istæ restaurantur.

II.

Ecoli. 6 III. Si, qui invenit amicum, invenit thesaurum; quem tandem thesaurum non invenerit, qui Deum Amicum habet? Et tamen Amicum Deum habet, qui animo est ab omni noxa gravi puro; cum solum peccatum in-

vidus ille fur sit, qui principio tantum nobis bonum abstulit, & qui toties redit ad furta sua sanctissima repetenda, quoties intra animi nostri penetralia illum admittimus. Jejunium porro sequestrum agit ad divinam hanc amicitiam redintegrandam; quod illi negotium tam prospere succedit, ut partes tam quoque conjungat, cum gravissimè inter se dissidere videntur. Hæc autem ratione gratiæ jactura reparatur. Illustre ejus rei exemplum Ninivitarum exhibent, qui tam facile Jejunij ope veniam consecuti sunt, etiam fidem suam antea obligasset Deus, quod urbem post quadraginta dierum intervallum certo sit everfurus. *Predicaverunt jejunium, & misertus est Deus super malitiam, quam locutus fuerat, ut faceret eis, & non fecit.* Præ aliis tamen meretur notari modus, quo Jejunium amicitiam hanc restaurat. Quid dico, restaurat? Imò auget, stabilit, & perpetuam reddit. *Jejuna, quia peccasti, hortatur S. Joannes Chryostomus: Jejuna ut non pecces; jejuna ut accipias; jejuna, ut permancant, que accepisti.*

IV. Primò itaque Jejunium tollit obices hujus Amicitiae divinæ, qui sunt duo, Culpa, & Poena; præparando nos ad gratiam sanctificantem recipiendam, & satisfaciendo debitis, quæ post peccatum admissum super sunt. *Jejuna, quia peccasti.* Atque ita Deus nullo honoris & autoritatis sui detrimento pactis hisce subscribit, cum quantum divinæ Justitiæ debetur, per Jejunium reddatur; id quod ad

Ami-

Amicitiam inter duos restituendam requiritur, si illam contigerit ante violari. Et verò hoc ipsum est, quod veros Pœnitentes inducit, ut se excrucient non iis tantùm, quæ redundant, quæque oblectant, subtractis, sed iis quoque, sine quibus vita vix ducitur; hæc de causâ desiderant reddere aliquid, quo prior, Deo non obtemperandi, contumacia compensetur. Cæli aspectus corallium inducit: ita & Pœnitentes isti dum parte una contemplantur longanimitatem Dei patientiam, quâ pœnitentiæ tempus indulget, & suavissimam in respicientibus denuo admittendis benignitatem: parte verò altera considerant nomina, quæ temerè cum Divina Justitia, justam ad indignationem commota contraxerunt, pretiosam illam tantique aestimatam contra semet duritiam induunt, beatamque illam severitatem, qua vel ipsi cælo majori in pretio sunt, *Jejuna, quia peccasti.*

V. *Jejuna ut non pecces.* Non satis est Jejunio, ut Arbitri officium in pace inter Deum ac hominem restaurandâ impleat. Vult insuper illam reddere firmiorem, ne tam facilè deinceps rumpatur. Fit autem istud, dum anima, abstinendo, plura & robustiora gratiæ auxilia impetrat, quæ Gratiæ sanctificanti sint tanquam milites præsidarij, eam vallo densiore muniant, omnique ex parte vires addant. *Jejunium*, Doctoris Mellini verba sunt, non solum delet peccata præterita, quæ commissimus, sed & repellit futura, quæ committere poterat.

mus. Aquila, si Plinio fides, albescit inedia. Sic & animæ candor, quo illam illustrem reddit vel Innocentia, vel Pœnitentia, magnam partem debetur Jejunio, quod hunc ipsi splendorem & conciliat, & conservat. *Jejuna, quia peccasti; jejuna, ut non pecces.*

VI. *Jejuna, ut accipias.* Majora adhuc sunt Jejunij munera: ad amicitiam enim Deum inter, hominèque in vitam magis firmandam anima magis ornatur, divinisque oculis gratior redditur, quàm ante contractam culpam fuerat. Argento multum lucis ac splendoris pumex addit, quo non obiter atteritur. Arte non dissimili nos perficit, animæque splendorem conciliat Jejunium, dum rigidè nos tractando recta cumulat promerita, quibus utique illustriores reddimur.

VII. Tandem *Jejuna ut permaneant, quæ accepisti.* Parùm est Jejunio tantis nos donis ornasse; iisdem etiam servandis invigilat. Plantæ odoriferæ, pingue in solum translate odoris sui suavitate non diu retinent. Ita, qui corporis sui curam ventris ingluviei credit, à qua delicatis, multisque cibis saginetur, non diu ea possidebit bona, quibus illum Pœnitentia per jejunium ditavit. Pingui & uliginoso in solo malè est virtuti: libentiùs in eo moratur juratus virtutis hostis Dæmon, de quo illud Jobi in libro legimus. *Sub a. 40. umbra dormit, in secreto calami, & in locis humentibus.*

VIII. Quid mulcis? tanta virtus, tanta jejunii excellentia est, ut non instauret tantum, augeat, firmet, perpetuam reddat contractam cum Deo amicitiam, sed hominem etiam ad gradum amici intimi, Deoque in paucis chari promoveat. Ad summum videbimus post esum pomi vetiti, seu, quod idem est, post Jejunii legem violatam: *Gen. 3. 8.* divinis se oculis subducere: *abscondit se a facie Domini.* Moyses è diverso post Jejunium divino se conspectui sistit, quin & divini vultus aspectu scui petit. *Exod. 13.* *Si inveni gratiam in conspectu tuo; ostende mihi faciem tuam.* Quin nubis instar, divini Solis radijs undique collustratæ, tantum à se fulgoris diffundit, ut Populus bene pastus ejus ne aspectum quidem ferre posset. *Ne ipsum quidem Moysen Deo pastum, constanter contemplari valeret pinguior Populus;* pridem in rem nostram scripsit Tertullianus. Primi, qui Stellas explorarent, motuum diversitatem intelligerent, inter se distantiam metirentur, vim earum, virtutemque vestigarent, Ægypti incolæ fuerunt. Excitavit nimirum eos ad laudatam hoc Astronomiæ studium sudum ferè semper, serenumque ijs in plagis cælum, quo fiebat, ut quoties liberet, contemplari sidera possent. Audio nonnunquam ex vobis: Non eâ vos pollere facultate, ut cælestibus contemplandis vos possitis impendere, neque benefica illa gratiæ munera, quæ identidem è cælo in animas nostras depluunt, quæque, si per nos non staret, depluerent, hebeti vestra

acie posse dispicere. Nec ad credendum sum difficilis. Quomodo enim Cælum contemplari possit, quem inter & astra, tot exhalantur nebule, tot densantur nubes, tot vapores crassifascendunt, quàm mulcis ventrisingluyies mentem vestram identidem offuscat? *Jejunium mentem sublevat;* ut S. Augustinus asserit. Mirum magis est, eum etiam Fidei jacturam non facere, qui id unum videretur habere propositum, ut carnem suam pascat, delicate nutriat, nihil non ei indulgeat. Qui ejusmodi sunt, ijs paulatim tenebris excoecantur, ut eorum Deus venter sit: & tota anima in palato habitet. *Nauseat anima nostra super cibis isto levissimo* multabant Judæi, Manna cælesti toties subministrato saturi; quibus verbis, nauseam adscribebant non sensui gustus, sed ipsi animæ, quæ in ipsis non ad aliud vivere videbatur, quàm ut eos oblectaret, quæque & ipsa, jam belluina reddita, bona illis majora non repræsentabat, quàm ollas, quàm cacabos, & carnes vario jure & condimentis Ægyptiacos ad focos opiparè præparatas. Si Sanctos attenditis, quæ illi ratione aptos sese, rebus divinis cognoscendis, reddere studuerint, videbitis in eorum fuisse propè perpetuam, & cum lautissime pranderent, minus eos sibi indulisse, quàm nos, cum jejunamus: adeò ut ipsis grave admodum, ac molestum fieret, cibo vitam producere, panemque suum amarè prius lacrymis humectarent, quàm eo vescerentur. *Antequam comedam*

*dam suspiro, & tanquam inundantes
aque sic rugitus mei.*

IX. Nunc, ut in semitam redeamus; an non satis demonstratum est, quanta Jejunii virtus sit, ad primam divinæ Gratiæ & amicitiae jacturam resarciendam? nunc porro non minus illud potens esse ad alteram jacturam reparandam ostendendum est; hanc autem diximus esse jacturam pleni illius in nos ipsos juris ac dominii, quod evertit ac sustulit carnis adversus spiritum rebellio. Hanc in rem ita loquitur S. Augustinus. *Jejunium propriam carnem spiritui subicit*: quod, ut quam verè dictum sit, cognoscatis, advertite recuperationem amissi hujus dominii ac juris, ad duo illa notissima capita reduci: *sustine & abstine*: ut nimirum corpus nostrum illa ferat, sine quibus ex virtute non vivitur; & ab illis se abstineat, quæcumque cum virtute pugnant. Utrumque autem horum Jejunio facile consequimur. Nam ad ferendum quod accinet, seu sustinendum, qui nimio cibo utuntur, oneratarum instar navium sunt, quæ ob ingentia, quæ vehunt onera, ad pugnam inepræ sunt, cum è diverso Jejunio additi navium sint instar bellicarum, quæ præter arma & armatos vehunt nihil, & idcirco omni vento facile circumguntur: & si quacunque ex parte has quis consideraverit, arcem referunt egregie munitam, referunt etiam mobilem atque versatilem, quæ fertur, quocunque res postulat. *Hoc genus Daemoniorum, Math. 10. Christus aiebat, non ejicitur nisi in oratione & jejunio. Laborant hic non pa-*

ram interpretes, ut causam inveniant, ob quam, præter Orationem, Jejunio potius opus sit, quam quolibet alio plurimum actionum genere? Sed S. Thomas profundam, subque dignam ingenio invenit. Quanto, inquit illo, anima magis versùs Deum attollitur; tanto illa Dæmonibus sit terribilior. Hoc autem attolli ad Deum plurimum impeditur carnis nimis abundanter pascæ pondere, juxta illud: *Attendite vobis, Luc. 21. ne forte graventur corda vestra crapula & ebrietate. Ut proinde enitatur ad Deum anima, Jejunio opus est, quod solum leviolem reddere carnem potest. Hac ratione, ejus ope, anima hostibus formidabilis evadit, cum contra eos pugnet robore, viribus suis consuetis superiore, eosque in pudendam fugam conjiciat, illo ipso tempore, quo, ob elusos feliciter, quamlibet potentes exorcismos, superbiâ efferebantur: Hoc genus Daemoniorum non ejicitur, nisi in Oratione & Jejunio.*

X. Neque hoc solum ita est, sed etiam Oratio, ejusmodi in eventibus ad vincendum necessaria, mirum quantum virium à Jejunio mutuetur. *Bona est Oratio cum Jejunio*: Seni Tobix affirmavit Angelus. Ad expugnandam arcem opere & situ firmam, non est satis aggeres erigere, & murales in iis machinas locare: necesse insuper est has machinas corribus terra oppletis tegere: id enim ni fiat, priusquam muro everso viam aggressuris aperiant, oppugnatae arcis tormentis aut altiore loco derudentur, aut obrurato adversis pilis o-

re reddentur inutiles. Quid igitur
causæ est, cur vos toties conquerami-
ni, Orationes vestras nihil efficere;
clamare vos, nec tamen esse, qui re-
spondeat; petere, nec tamen esse, qui
donet; pulsare, & prodire neminem
qui aperiat? quid astringit dicere Cæ-
lum ad vestros gemitus rigore, velut
ære fufum? vestræ machinæ muros
non evertunt, quia coribus abstin-
entiæ illas non vallatis; unde hostes ve-
stri, ictus omnes eludunt, vosque ipsi
animo abjecti, nec porro in rem præ-
sentem intenti, tandem oppugnatio-
nem, tanquam nihil profecturam, o-
mittitis. Cur tam facile fuit Danie-
li interficere Draconem, cui divinos
honores tota Babylon deferebat? non
aliâ de causâ adeo feliciter res cessit,
quàm quia superbum ille prius Ido-
lum dejecerat, infra quod se Draco ab-
scondebat. *Bel destruxit, & Draco-*
nem interfecit. Eadem arte viri San-
cti usi sunt, & idcirco tam facili ipsi
quoque negotio de hoste stygio tri-
umpharunt: aggressi primò sunt Ido-
lum, hoc est Corpus suum, sub quo
semper hostis stygius latitare, seque
oppugnatum difficilem reddere con-
suevit. Verùm nos, qui tam ignavi
sumus, aut timidi, ut ne ictu quidem
unico Idolum hoc adoriti audeamus,
ne carni nostræ malè sit, mirum pro-
fectò deinde non est, si tam non vinci-
mus Dæmonem, ut potius crudeli e-
jus sub tyrannide lugubriter cogamur
ingemiscere. Et verò eadem nobis
ille versuriâ imponit, quâ Draco Ele-
phantem circumvenit: expectat eni-
m, dum hic multâ escâ sit gravis, &

Dan.
34. 27.

tum illum adoritur ac sternit. Ten-
tatio, quæ hominem Jejunio obarma-
tum oppugnat, inermis ipsa & enervis
est. *Tentatio inermis & inefficax;* & *Lex*
qui tunc pugnam ciere parat Dæmon, *sternit*
mox atque jejunos aspexerit, proster-
nitur, aut animo cadit. *Jejunantibus*
nobis, Diabolus esurit, qui nostris semper
per satiatur ex culpis, ut S. Petrus 22.
Chrylogus loquitur. Hinc etiam si
rectè S. Basilius sensit: *Primum illud*
præceptum accepit Adam, ne de ligno
scientia boni & mali ederet. Hoc autem
Jejunii & abstinentia lex est. Prima è
diverso tentatio, ad hominem beatè
suâ sorte deiciendum, illa fuit, qua
ad hanc abstinentiæ legem violandam
impulsus est. Videmus proinde, si pel-
simè oculati non sumus, quàm potens
nobis tuendis telum sit Jejunium, &
quàm Inferno formidatum.

XI. Obscurum hinc porro non
est, quantum virium nobis Jejunium
conferat ad ferenda omnia, quæcun-
que in arduo virtutis studio & exer-
citate nos premunt. Multò au-
tem apertius est, quantam illud virtu-
tem nobis tribuat ad abstinentium o-
mnibus, quæ nocitura sunt: facile e-
nim est animæ, ejus ope resumere ste-
num, quod Appetitus, tanquam e-
quus freni impatiens, manibus excul-
serat. Quid est caro nostra Jejunio
non castigata? Piscis est nativis suis
undis innatans: at attrita Jejunio pi-
scis est in littoris arenis destitutus. Im-
manis ille piscis, qui suo in elemento,
& Tigri flumine, Tobiam, tanquam
devoraturus, terruit, ubi primùm sic-
cum in littus protractus est, palpitate
mox

mox ipse coepit. *Ecce piscis immanis
 exiit ad devorandum eum: atraxit
 eum in siccum, & palpitare cepit ante
 pedes ejus.* Perperam proinde de inie-
 ktinis ad vitia incentivis exaggerando
 querimur, cum tam non sit arduum il-
 lis resistere, & superare: superantur
 autem, si carnem ex delitiis & oblecta-
 mentis superfluis foras protrahimus,
 & in sicco abstinentiæ lictore colloca-
 mus: hic enim, posita audaciâ, palpi-
 abit scilicet, & abjectis armis pacem
 supplex petet. *Prodiit quasi ex adipe
 iniquitas eorum.* Plerumq; mortalium
 iniquitas nimia hæc ex pinguedine na-
 scitur, dum tantum animi illis non est,
 ut negent & subtrahant carni, ad quod
 ipsa anhelat; etsi servi instar immori-
 geri, quod nutritur curiosus & delica-
 tius, tanquam recalcitret insolentius. *Qui
 delicate à pueritia nutrit servum suum,
 postea sentiet eum contumacem.* Quam-
 quam autem servum hunc Dominus
 contumacem tunc & resistantem non
 experiat, dum ei blanditur, sentiet
 tamen postea, cum occasio se dederit:
 quando vel Legi divinæ obtemperan-
 dum fuerit, vel desideria sensuum &
 cupiditatis mortificanda; tum enim
 verò caro volent, ut calcata Dei Lege sui
 ratio habeatur, & falconis instar mini-
 mæ famelici, surda erit ad vocem do-
 minæ Rationis. *Incrassatus, impin-
 gnatus, dilatatus dereliquit Deum sal-
 tutorem suum.* Docet idcirco S. Thomas
 non unius generis esse Jejunium: sed
 aliud esse *jejunium jejuni*, aliud *jejuni-
 um jejunantis*. Illud, quod est absti-
 R. P. Segneri S. J. *Christ. Instr. Tom. II*

nentis cujuslibet non manducantis,
 quamdiu aliud non est, quam sola ci-
 bi negatio; ad nullum finem ab absti-
 nente ordinata, neque virtutis, neque
 vitij nomine venit. At è diverso *Je-
 junium jejunantis* seu abstinentia vo-
 luntaria, quâ quis escam ventri subtra-
 hit honesto fine impulsus, actus est, eo-
 dem Angelico teste, tam non arbitrari-
 us, ut naturæ etiam ipsiusmet præcep-
 to nobis imperetur: id quod tum præ-
 cipue usu venit, quando ejusmodi ab-
 stinentia medium est ad impediendum
 peccatum, ad domandas rebelles ra-
 tioni cupiditates, & ad mentem, à re-
 rum caducarum sordibus avulsam, cæ-
 lestibus contemplandis idoneam effi-
 ciendam. Et quia mortalium vix ul-
 lus, si tamen ullus est, qui medio ejus-
 modi opus non habeat: *in multis enim
 offendimus omnes*, idcirco, ejusdem S.
 Doctoris sententiâ, par erat ab Eccle-
 sia certos quosdam dies Jejunio sacra-
 ri, quibus omnes ejus filii eo uteren-
 tur. Verba ejus sunt, *Jejunium in com-
 muni cadit sub præcepto legis naturæ,
 & solum determinatio temporis, &c.
 cadit sub præcepto Juris positivi.*

XII. Quod igitur hac in re Animo
 cum Corpore bellum est, justum sanè
 est, immeritò istud conqueritur, si
 Animus hac ratione vim vi repellat.
Licet vim vi repellere. Dum vicini
 domus incendio conflagrat, licet per
 Leges eam penitus subtrahere, ne latius
 serpens fonticus ignis meas quoque
 ædes corripiat. Quidni igitur & ani-
 mo liceat Corpus abstinentiâ cibo-

O o

KUM

rum inflatis verberibus, & simili peccalitate genere affligere, dum istud obscenis cupiditatum ventarum ignibus eorum exardescit, & jamjam in animum ipsum nocentissimas flammis propagat, quas tam ipsum per se extinguere non potest, ut nutriat potius & dilaret? Incolit quidem Animus corpus istud velut domum, non nego: sed quàm stultum foret, si quis incendio absumi ipse mallet, quàm tectum ædium suarum dejicere, licet hoc dejecto salvus ipse & incolumis evadere posset? Si quis reponat; se absque valetudinis incommodo, & magnâ stomachi molestiâ jejunare non posse, huic Magnus respondebit Gregorius: *Multo melius stomachum dolere, quàm mentem, & gressu vacillare, quàm pudicitiam.* Imò præstat valetudinem atteri; hoc enim est hosti auxiliares copias tollere; est fame expugnare Munimentû superbè contumax, quod armis plûs satis instructum, non tantùm non se dedit de deditioe appellatum, sed ne a sultibus quidem cedit.

*Pf. 34.
16.*

Humiliabam in Jejunio animam meâ. Quoquo modo autem res se habeant, si Tertullianus rectè sensit, nunquam erit invenire impuram libidinem jungam Jejunio; aut si jungantur, Monstrum id erit monstrorum haud sanè minimum, tam non diversæ solùm, sed contrariæ partes sunt, quibus constitueretur. *Monstrum haberetur libido sine gula.* Quod plerumq; contingere solet, id Apostolus indicavit, quando primam Jejunio sociam castitatem dedit: *In Jejunio in Castitate, in scientia,*

*2. Cor.
9. 5.*

suavitate. Sine Cerere enim & Baccho, juxta celebre illud D. Hieronymi gefatum, friget Venus, hoc est, ut ait S. Thomas: Per abstinentiam cibi & potus tepescit luxuria.

XIII. Satis, h. ctenus asserta, ostendunt, quantum vitium animo per Jejunium accedat, & quâ ratione amilsum carnis rebellionem dominatum recuperet, cogendo ipsam, ut ferat omnia, quæcunque in virtutum usu occurrunt dura & aspera, & ab omnibus se abtineat, quæ ipsi grata & suavia, ad vitia trahunt. Superest, ut ostendam, etiam immortalitatis, seu vitæ perpetuæ prorogandæ amilsum in Paradiso prærogativam Jus, eodem Jejunio nobis restitui. Ad hoc porò quòd spectat, fateor equidem, nos Jejunij beneficio perpetuâ hujus vitæ usurâ non fruituros; neq; verò id quisquam sapiens optaverit; cùm id non esset aliud, quàm quas hic patimur, calamitates & miseras facere sempiternas: meretur tamen nobis vitam in Cælo, nullo seculorum decursu finiendam; hanc autem præsentem eò ueque saltem producit, ut satis ferme temporis superat ad magnam promeritorum messem colligendam; quæ profectò sunt unicum illud bonum, cujus obtinendi gratiâ longiora vitæ spatia prudenter desiderentur. *Propter crapulam enim multi observant: qui autem abstinentes est, adjiciet vitam:* quæ quidem Spiritus Sancti verba obscura non sunt. Multos omnino mortalium annonæ caritas enecat: major tamen est strages, quam gula edit; cujus maleficio h.

ut quæ alendis nobis condita sunt, venenum evadant nocentissimum; sic ut jam non alium ferè hostem magis timere, & cavere oporteat, quàm cibum & escam nimiam. *Eoque mores venere, ut homo maxime cibo pereat.* Neque jam certior prorogandæ vitæ ratio est, quàm moderatus alimentorum usus, etiam Deo teste: *qui abstiniens est, adjiciet vitam.* Et verò res ipsa loquitur, Religiosis in Cœtibus, in quibus majus sobrietatis, mortificationis, & abstinentiæ studium viget, plures numerari senes, eorum ferè experies incommodorum, quæ alios, nimio cibo potuque usos, plurima fatigant: ut ita, quæ tanto delicatulis nostris horrore est, austeritas, vitæ longius proferendæ serviat, sicut argento, longiora in fila ducendo, servit angustia foraminis, per quod traducitur.

II.

XIV. Verùm jam diu adverto, prurire vobis linguam ad repugnandum hæctenus assertis, meque mendacii arguendum, aut certè si quando hæc, quæ enarravi, prodigia Jejunii ope olim perpetrata sunt, mutarà hodie rerum facie, nihil simile spectari affirmatis. Nam & quædam festorum pervigilia, & certi quovis trimesstri dies, & longum illud quadraginta dierum spatium quotannis à Jejunis exiguntur, nec tamen repetitoties abstinentia quidquam eorum, quæ magnificè in speciem jactata sunt, efficit: non cum Deo amicitia restauratur, non mittitur sub jugum rebellis Caro, non æternos an-

nos vivimus. Non præter expectationem hæc reponitis: volebam & ipse talia audire, opportunius vos errorem dedocerem. Haud equidem quodvis ea, quæ dixi, Jejunium efficit, sed certum tantùm aliquod, & vulgari multò præstantius, *Nunquid tale est Jejunium, quod elegi?* Non ergo quodlibet Deo probatum est Jejunium: illud tantùm placet, quod est conforme Prophetæ verbis, cujus ore Jejunium à Deo imperatum est: *Sanctificato, inquit, Jejunium.* Quænam autem est Sanctificatio ista, quæ velut anima sit Jejunii, sine ipsa emortui atque exanimis? Tria sunt, quibus ipsa absolvitur, si S. Thomam audimus, quæque omnem Sanctitatem constituunt, atque perficiunt: sunt autem hæc: esse immune & purum à malo; esse constans in bono; & ad divinum honorem atque obsequium esse destinatum: hæc usam & exercitationem Jejunii informant, quam alterà hac Discursus parte docere constitueram.

XV. Ut ergo sanctum sit Jejunium, purum à malo esse oportet, seu, quod idem est, ab eo susceptum, quem Gratia Dei amicum constituat. Si thus sordibus conspurcatus fuerit, non recreat suavi odore, sed ingrato fetore offendit. Et gratum Deo sit illud jejunantium aliquorum Sacrificium atque oblatio, quam peccatum præcedit, comitatur & sequitur? Neque sanè nulli sunt, quorum abstinentiam noxa præcedat. Quæ enim, quæso, ratione non pauci ad longius illud Quadragesimæ Jejunium se ac-

cingunt? Præcedunt Saturnalia, et vitæ licentiâ transacta, ut omnis reliqua vitæ ad contractas eo tempore sordes eluendas non sufficiat. Hæc cum S. Basilij animum subirent, facere non poterat, quin exclamaret:

*Hom. 1. Non est per temulentiam aditus ad Fe-
dejejunium, quemadmodum nec ad justitiam iter est per fraudationem. Ebricitas ad lasciviam inducit, ad Jejunium frugalitas. Hoc ut alibi idem S. Doctor asserit, putinde foret, ac priusquam domum duceretur sponsa, conclavia omnia concubinis implere, infami earum ministerio venientem excipere, & habitationem eidem præparare. En causam, ob quam maxima illa Jejunii commoda multi non experiuntur: haud secus enim, ac pridie sumendi pharmaci ventrem cibis potuque fardire, salubria omnia medicinæ effecta impedit, nec sanitati, quæ quærebatur, restituendæ, locum facit; ita tot peccata quadraginta dierum abstinentiæ permittere, facit, ne quid in nos redundet utilitatis ex Jejunio à*

Ecel. Deo imperato. Unus aedificans, & 34. 28. unus destruens, quid prodest illis, nisi labor?

XVI. Id quod tum maximè verum est, cum quod præcessit abstinentiam peccatum, eidem individuis comes adheret. Et tamen ferme, qui tanto peccatorum cumulo graves, initium Quadragesimæ faciunt, eandem sarcinam toto illo tempore non ponunt, sed Paschales expectant ferias, quibus se tandem per Confessionem exonerent, quam par erat tori Jejunio præmittere. Hoc est irritò labore

multa congerere in saccum perforatum: *Qui mercedem congregavit, misit eas in sacculum pertusum: cuiusmodi bono? Non desunt tamen, qui hujusce sortis Jejunio tam sibi divites videantur, ut ejus pretio Cælum & Beatitudinem sempiternam se empturos sperent. Non ego, inquit, tam omnis in Deum pietatis exors sum, quam nonnulli me fingunt, & alii venditant: multa religiosi animi indicia præbeo: jejuno Sabbatis, diebus Mercurij carnes non attingo; pridie festorum Matris Virginis, quibus id Ecclesia non jubet, gulam meam gratioribus cibis fraudo. Bene ista: interim tamen huic ipsi vestræ carni permittitis, quæ certâ Dei lege cunctis diebus sunt vitata. Carnes non comeditis, nec tamen à fœdis carnis oblectamentis vel semel vos abstinētis. Si uno solo ex indicio de agro aliquo ferendum esset judicium, melius res tam malo desperatæque essent loco, ut bonam illi valetudinem non liceret augurari? vix enim unquam tot quispiam symptomatis laborat, ut unum aliquod favens indicium non supersit. Sed deliraret Medicus, qui pronuntiaret de morbo, hoc solo considerato, ceteris infelicibus insuper habitis: magis aurem insanit Peccator, qui ad modicum illud apparens bonum, quod jejunando facit attendens, tot nozarum, quæ abstinentiam hanc comitantur, nullâ ratione habitâ, certam sibi salutem non dubitat polliceri. Incassum per abstinentiam, corpus atteritur, reclamant* magnus Gregorius, *si inordinatis mensuris*

ribus dimissa mens vitii dissipatur. Si subinde Abstemii isti Judicem Deum interrogare non verebuntur: *Quare jejunavimus, & non aspexisti?* Audient mox idem reponentem, quod alii ejusdem fufuris Isaiaë ore audierunt: *In die Jejunii vestri invenitur voluntas vestra.* In ipsis Jejunii vestri visceribus venenum latet, quod illud inficit; voluntas nimirum vestra scelerata, contumax, & adversus supremi Numinis voluntatem perduellis. Quod tale est Jejunium, vel nomiue Jejunii indignum est: haud aliter ac embryo hominis, homo non dicitur. *Non dicitur homo, qui in utero existens non habet completas partes hominis.* Quomodo igitur hoc monstrum potius, quam embryo Jejunii, Jejunii nomine veniat, cum ne externam quidem Jejunii à Deo imperati speciem præ se ferat?

XVII. Huic prævio, & comitanti Jejunium malo accedit & illud, quod ipsum sequitur. Vix siquidem destinati abstinentiæ dies abierunt, cum in omnem se denuo licentiam multi effundunt, æque plus quam antea ingurgitant, perinde ac si multà commendatione digna sit exinanitio, quæ non ad aliud servit, quam ad lautiora & pinguiora prandia, aut cœnas abliguriendas. *Non laudatur in illo jejunium, quid ad luxuriosam cœnam servat ventrem suum* (S. Augustini verba sunt) *hoc enim est mutare voluptatem carnalem, non amputare.* Mahometi affectis triginta, quot annis, dies inediã transigere solenne est,

sic ut ab aurora ad vesperum sibi admittant nihil. Verùm ubi primùm stellarum lux affulgere cœpit, tum enim verò non manducare tantùm, sed quantum venter capit, ingerere, noctemque aded totam in læto plurium consortio transigere fas est. Tale si alicujus vestrum futurum esset Jejunium, longè illud sobrio prandio carni gravior accideret; tamen in illo non attereretur, aut maceraretur, ut sibi potius de tam pingui, post brevem abstinentiam, saginã gratularetur.

XVIII. *Sanctificate Jejunium.* Primò igitur purganda sunt, & munda à malo nostra Jejunia, ut Sancta sint; subinde autem in bono firmada. Non alio facilè indicio melius dignoscitur virtus stabilis ac solida, quam si quis ejus actiones alacritate & hilaritate pari efficiat. De illorum proinde Jejunio quid sentiendum est, qui semper metuunt (ut paulò antè dicta satis probant) nequid ipsis molestiæ Jejunium facessat? Cras inquit, imperatur abstinentia: hodie igitur plusculum cibi sumendum, ne cras Jejunio ferendo pares non simus. Heri jejunatum est: hodie ergo vires amissæ restaurandæ. Enimverò juraret quis, obliuionem diuturnam eorum ventri imminere (etsi una tantùm abstinentiæ diecula præ foribus sit) aded, ut S. Hieronymus, Joannes Chrysostomus observavit, 15. ad solliciti sunt, ut quod satis est anno-pop. næ intro vehant: ubi verò exacta est Antiquitas, jejunando dies, velut solutã obliuio-och,

ne, ad merendas, convivia & crapulas festinant. Toto verò, quò jejundandum est, tempore, non aliud crebrius ex iis audire est, quàm querelas & lamenta. Dolent, tam longam esse Quadragesimam, dies numerant & propè momenta, & pauculae hebdomadae tantum non aeternitas ipsis videntur, cujus nullus sit finis. Ejusmodi Jejunia Ursorum dixeris, non

l. 8. ani-
mal. 6. Ursum hyemis initio quadraginta omnino diebus omni se escà abstinere.

17. Toto tamen eo tempore lateret, & tristi murmure specum implet. Et placeant Deo Jejunia ista coacta? Nunquam illi arriserunt victimae adhibita

Matt.
16. 17. vi ad aras raptatae. *Tu autem cum jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava:* hortatur Christus: an alia de causâ, quàm ut exterior illa mundities & hilaritas sit argumentum suâ voluntate, & libenter, non necessitate & coactione jejunantis? Hæc deinde promptitudo, hæc hilaritas, facient, ne quis sectetur opiniones Doctorum, Ecclesiasticæ Legis fines satis dilatantium, ne dicam occasione eos transiliendi præbentium. Egregiâ quidem virtute & scientiâ Alceta, cum triremi Joannis Austriaci veheretur, videretque lautam illam, quam appellant, Collationem, esuriali die, genere se non potuit, quin Aulicis illis modestâ libertate diceret. Illustres viri, hoc neque cœnare est, neque jejunare. Et verò talia sunt multorum Jejunia; nec Jejunia sunt, nec cœnæ sunt. Jeju-

Boter.
l. 2.
dier.
etiam.

nium enim humeris suis excipiunt, ut immane quoddam onus; ut tali autem quaquâ licet, & quâ forte etiam non licet, gravitatis aliquid detrahente fatigant; neque attendunt, Jejunium si pondus est, non plumbi, sed auti pondus esse, quod tantò magis semper locupletet, quantò magis onerat. Sed & illud, quam dixi promptitudo & alacritas præstat, ne sollicitè quis causas indaget, quibus Jejunii longioris obligatione se eximat, perinde ac si absque notabili valetudinis detrimento illi parere nequeat. Mirum profectò est obtemperari sæpe Medico, cum moderatissimum cibi usum suaderet: Ecclesiæ autem Matris non audiri imperia, cum haud paulò tolerabiliorem cibi parsimoniam præcipit. Sanctorum Patrum aliqui Gulam comparant vulpi, quæ ut concupitam & nobilem prædam certius venerit, mortuam se simulat. Gula & ipsa, nescio quæ Jejunii gravissima impedimenta comminiscitur, & *fingit laborem in precepto.* Non hic Christianorum prioribus Ecclesiæ seculis mos fuit. Anno salutis 545. cum totus latè Oriens magnâ annona difficultate premeretur, Imperator Justinianus voluit Constantinopoli verni Jejunii tempore etiam carnes venenum exponi, ut hæc aliorum ciborum, quorum inopiâ laborabatur, defectum supplerent. Sed tanto in populo inventus est nemo, qui cibis illis vesci veller, & Jejunii legibus solvi, cum, ut Nicephorus testatur, fame e-

mori mallent, quàm sanctissimam il-

Jam legem à majoribus traditam, ad
 Paschalia gaudia solenni illà absti-
 nentia se præparandi, violente. No-
 strorum temporum Christiani alio ex
 metallo conflati sunt. *Fortitudo eorum
 dissimilis*, ait Jeremias: non dis-
 similis tantùm fortitudini antiquo-
 rum, sed & suæmet fortitudini dissi-
 milis. Si Saturnalium tempore no-
 stes totæ insomnes decendæ sunt, ut
 ludis, choreis, epulis, & nescio qui-
 bus deliciis vacetur, virium abunde
 est. At diebus æstivalibus vernis
 adesse sacrificanti utroque poplite fle-
 xo, audire dicentem è suggestu abs-
 que somno, res sunt, quæ fieri non
 possunt; & qui hæc non possunt,
 quomodo carnum esu abstinebunt?
 omne robur evanuit. Leo tantis est
 viribus, ut ne Elephantum quidem
 aggredi formidet; at hic belluarum
 Rex viso gallo in fugam agitur. *Forti-
 tudo eorum dissimilis*. Cùm autem
 re ipsa ea fuerit virium imbecillitas,
 quæ Jejunii lege stare non sinat, o-
 portet de hoc ipso dolere, & inter ja-
 cturas numerare; non verò de eo ut
 prærogativo jure sibi plaudere & gra-
 tulari. Hic magni Gregorii sensus
 fuit, qui licet loco illo tam sublimi,
 ut inter mortales altior non detur,
 collocatus, ingemiscebat tamen, quòd
 tot tamque contumacibus morbis la-
 boraret, qui non eam, quã alii se ma-
 cerabant, abstinentiam permitte-
 rent.

XIX. *Sanctificate Jejunium*. Ter-
 tiò denique ad Jejunii sanctitatem re-
 quiritur, ut Deo honorando tolera-

tur. *Sanctificate Jejunium*, honaba-
 tur mellifluus, ut pura intentio, & de *Serm. 4*
vota oratio, divina illud offerat Maje- de Quam
stati. Sunt, qui jejunent ex quadam *drag.*
 assuetudine, aut quòd alios de mesti-
 cos abstinere videant, ut Cameli so-
 lent, quos inter si quis in valetudine
 pabulo abstinere, multum laboran-
 dum est, ut eo ceteri, qui circa illum
 sunt, pascantur. Altiùs omnino ten-
 dere oportet Christianum quemlibet,
 & finem spectare sublimiorem,
 & eorum scilicet aliquem, ob quos
 imperata sunt ab Ecclesia Jejunia. Hi
 autem, Angelici Thomæ assertionem,
 tres potissimum sunt, ad quos ceteri
 reducuntur: ad *Concupiscentias car-* *S. Tho.*
nis reprimendas: ad satisfaciendum *2. 2. 9.*
pro peccatis: ut mens liberius elevetur *147. 9.*
ad sublimia contemplanda: quod vel *1.*
 maxime in Daniele Propheta patuit,
 cui post trium hebdomadarum ine-
 diam tam multa & magna Mytheria
 revelata sunt. Qui inter abstinen-
 dum à cibo unum aliquem ex enume-
 raris finibus mente versabit, eoque
 omne suum studium, omnem, quæ in
 abstinendo est, molestiam referet, nã
 ille Jejunium suum præclare sanctifi-
 cabit, efficietque corpus suum ho- *Rom.*
stiam viventem sanctam, Deo placen- *12. 1.*
tem. Viventem quidem, quia spi-
 ritus, liber servitute peccati, vivet vi-
 sã gratiæ: Sanctam, quia in bono
 firmam & constantem; & quia modi-
 cam illam abstinentiæ molestiam illu-
 stris virtutum chorus comitabitur:
 Deo placentem, sinceræ perfectæque
 intentionis studio, quò id unum spe-
 ctetur,

Actur, ut noxæ olim admiffæ deleantur, proque iis fiat facis, & nullæ deinceps admittantur. *Hoftiam viventem, sanctam, Deo placentem.* Huiusmodi Jejunii qui portionem non modicam fumpferit, expertus difcer, quàm non ex vano ejus fructus promiferim, recuperatam Dei gratiam & amicitiam, edomitas animi perturbationes, & immortalitatem illâ,

quam perdidimus, multò præfantiorem. Faxit bonus Deus, ut quodcunque deinceps feremus Jejunium, hac triplici ratione modòque sanctificetur, nostræque ejus abftinentiæ præmium fit beata illa cœna, quæ fe femper fatiabit, ut nunquam nafeam, famem tamen fui cum fatietate relinquat fempernam.

DISCURSUS XXI.

De Indulgentiis.

I. Magna illius auri æftimatio, permagnum prærium eft, quod fluvii fecum trahunt; idque non eo folum ex capite, quòd, Plinio

tefte, omni alio *absolutius aurum* eft atque perfectius, verùm etiam quia, etfi pretiofius, labore tamen multò minore paratur: abaque eo enim, quòd mortales vivos fe quodammodo fubterraneis in fodinis fepelire, ligonum palatùmque tractatione vires exhaurire, inter præduras glebas occallefcere, plurimis maximisq; fe exponere periculis cogantur, fedentibus tantùm ad flavi fluminis ripas, & propè otiofis obfequiofæ undæ charum, optatùmque munus offerunt, & tantùm non obrudunt. Sentio me incitari ad fcras Indulgentias beneficis hifce undis comparandas: iftæ liquidem, ab-

que illa fori Pœnitentiæ afperitate & rigore, bonum nobis conferunt, quòd tanto labore, tanto conatu alibi Fideles quærunt, plenam inquam noxarum veniam ac condonationem, omni jure ad pœnam non minùs, quàm culpam, extincto. De his proinde Indulgentiis hodie differendum eft; utque magis perfpicua evadant omnia; duas in partes differtationem dividemus: priore investigabimus, unde fcatent nobileffimum illud aurum, arena illa pretiofa, quam Indulgentiæ, tanquam liberales fluminum aquæ, in finum quodammodo nobis ingerunt? Pofteriore viam ac rationem explorabimus, quâ quàm maximas hinc opes parare poffimus.

II. Duo nobis impedimento funt, quòd minùs cœleftis patriæ beatitate potiamur, Culpa ac Pœna: Culpa quidem, quia pugnat cum amore Dei,